

Cap. 2. §. 27.) Spiritum S. quandoq; dici de perfecta Prophecia, quor-
sum citat loca Num. XI, 26. ubi dicitur de Eldad & Medad, quod
super eos *resederit spiritus*, & prophetarint in castris coll.
v. 17. & 29, item 1 Sam. XIX, 23. Ezech. XXXVII, 1. Apage igitur
tantas Judæorum ineptias tantamque malitiam!

Questio 3.

An forte nomine τὸν ἑραφῶν alia etiam scripta, quam quæ
in sacro Codice continentur, nempe libri Judæorum mystici, intelli-
gantur? R. Judæi, cum vera mysteria, in S. literis V. T. tradita,
agnoscere nolint, eò devenerunt, ut fontem sibi mysteriorum
novum fecerint; sed talem, qui aquam salutis veram non con-
tinet, quam appellant *Kabbalam*, h. e. *acceptionem* s. doctrinam
oretenus acceptam, per quam h. l. non intelligitur *lex oralis* in
Talmude comprehensa, sed *scientia arcana mysticè ac enigmaticè*
quodammodo proposita, de rebus divinis, angelicis, theologis, cæ-
lestibus & metaphysicis, de angelis & spiritibus, miris Symbolis &
arcanis docendi modis involuta, quam Job. Picus Mirandula Co-
mes, Job. Capnio s. Reuchlinus, Archangelus de Burgo Italus, aliq;
ex bona parte revelare aggressi sunt, dicente Buxtorfio in Lex Chald.
Talm. p. 1953. Non agemus autem hac vice de Cabbala practica, quæ
morbos curari aliosque miraculolos effectus produci posse existi-
mant, & quorsum pertinet usus Schemhamphorasch, nomine
suo notissimi; sed theoretica, s. talis, quæ in contemplatione subsi-
stit. Eam igitur tanti æstimant cæci mortales, ut in Talmude
asserere non vereantur: דברי קבלה כדברי תורה דמו
Verba Kabbala equiparantur verbis legis. Cumq; nonnulli Kab-
balam Esræ antiquiorem faciant, quidam non, Picus Mirandula
ante citatus sententias has ita conciliari posse existimat, ut dica-
tur: Kabbalam antea quidem notam fuisse, sed literis demum
Esræ tempore mandatam, ac in LXX. illa volumina relatam, quo-
rum mentio fit 4. Esr. XIV, 46. Judicium Pici illius in Apol.
p. 82. apud Job. Henr. Hottingerum in Thesaur. Philol. L. 1. cap. 3.
Secl. V. p. 439. sequens est: Vidi in illis (libris) (Deus est te-
stis)